

Gammelbd 4

2
3
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
1
1
1
1
1



DE EO
32
QVOD IVSTVM EST
CIRCA
CAPTIVORVM
REDEMPTIONEM,
SVB PRAESIDIO
PETRI MULLERI,
ICTI, CONSILIARII SAXONICI, CVRIAE
PROVINCIALIS, SCABINATVS ET FACVL-
TATIS IVRIDICAE ASSESSORIS, NEC NON
PANDECTARVM PROFESSORIS
PVBLICI,
IN ACADEMIA SALANA
D. XXVIII. IVNII A. MDCXC.
PVBLICE DISPVTAUIT
IACOBVS HENRICVS CRVSIVS,
MINDA - WESTPHALVS.



31.
IENAE
REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1740.

DE LO
QVOD IVSSVM EST

CAPITVORVM
REDEMPTIONEM

PETRI MALLERII

ICIT CONSTITVTORVM SACRIFICII, EVANGELII
ET SACRAMENTORVM SACRIFICII ET SACRIFICII
TALIS IVSSVM SACRIFICII, NEC NON
SACRIFICII ET SACRIFICII

IN ACADEMIA SALSANA

JACOBS HENTZENS CRIVS



LENAE
REC. LITTE. IO. BERNH. HELMII, VIZ.





Q. D. B. V.

P R A E F A T I O.



uamvis secundum statum & conditionem, quam homines habent à natura nulla alia accedente dispositione legis, omnes mortales sint æquales *arg. l. 32.*

ff. de R. J. & à natura ipsa libertas omnibus hominibus conferatur; attamen hoc jus naturæ adeo immutabile non est, ut hominibus adimat jus sive facultatem statum illum liberum cum servili immutare, sed potius liberum relinquat homini, libertate sua uti, item abuti, eam factam rectam conservare, eam itidem pro lubitu alienare, seque ipsum in miseriam addicere servitutem. Vid. §. 4. Inst. de jur. person. Guilh.

A 2

Grot.

Grot. *de princ. jur. nat. c. 2. §. 8. ibidemque annotata* D. Simon. Hinc factum, ut jure Rom. liberum cuique fuerit pretii participandi causa se ipsum, quasi servum alienare, *arg. cit. §. 4. junct. l. 5. §. 1. ff. de stat. homin. l. 21. eod.* Imo jure Gentium introductum, ut hostes devicti in duram redigantur servitutem *cit. l. 5. §. 1. ff. de stat. hom.* adeo ut victoribus idem jus, quod in servos domini habebant, etiam competeret in captivos; hinc habebant jus vitæ ac necis in illos, poterant pro lubitu eos tractare & quicquid acquirebant captivi omnia sicuti servi acquirebant victori sive Domino suo, imo nulla perpeffio erat, quæ non impune illis imponebatur. Add. Hug. Grot. *in incomp. tract. de J. B. ac Pac. lib. 3. c. 7. §. 3. & c. 4. §. 6. & seq.* Quis exinde non videt tum temporis nihil servitute vel captivitate fuisse tristius, nihil misericordia dignius? Cum autem postmodum Gentibus præsertim moratoribus valde inhumanum, imo nefas visum fuerit, arma submittentes in duram perducere servitutem & per consequens illos occidere, ideo factum est, ut servitus plane sublata fuerit, (quod si credendum Bodino *1. de Rep. 5. Ann. Christi 1200. id factum est*) adeo, ut nostro tempore Christiani, tam

tam Ecclesiæ Orientalis, quam Occidentalis, tam inter se, quam in sensu reciproco se invicem in servitutem non redigant. Add. Grot. *in laudato opere de J. B. & P. l. 3. c. 7. §. 9. junct. c. 9. §. fin.* Hæc quæ dicta sunt etiam observantur inter gentes barbaras, puta Mahumedanos, illos enim se invicem in servitutem non trahere certum est. Aliter dicendum est, si Christiani contra Mahumedanos & vice versa bella gerant, illo enim casu utique captivi fiunt servi. Vid. Magnif. Dn. Struv. *S. J. C. Ex. III. th. 21.* Lauterbach. *in Compend. Jur. ad tit. de capt. & postl. rev. junct. tit. de stat. homin.* Cum itaque, uti dictum, hodie modestius cum captivis agant Christiani inter se collati, ideo Christianorum captivi non fiunt servi, etiamsi in justissimo capti fuerunt bello, Bartol. *in l. 24. in fin. de captiv. & postl. revers.* Hufanus *tract. de hom. propr. c. 1. n. 40.* nihilominus tamen competit vicioribus captivorum detentio, donec vel permutentur cum aliis captivis, vel soluta aliqua pecuniæ summa liberentur. Et quanquam antiquis Romanorum moribus usitatum non erat, captivos redimere, uti constat ex Livio *l. 22. c. 59. 61.* Horat. *Carm. l. 3. Od. 5. & apud Eutropium lib. 3.*

& Hannibali, qui Romanis captivos, ut redimerentur, obtulit, à Senatu est responsum : Eos cives non esse necessarios, qui cum armati essent, capi potuissent. Add. Puffendorff. *de jur. nat. & gent. l. 4. c. 6. §. 14.* Quamvis etiam facillime ignaviae suspicionem incurrant tales captivi : Attamen hoc in passu magis humanitati & clementiae quam acerbitati insistendum putamus, praesertim si constat eos non ob ignaviam aut negligentiam, sed potius ob multitudinem hostium aut aliud infortunium in talem miseriam deductos esse. Hinc non immerito ab Ambrosio captivos redimere maxime ab hoste barbaro praecipua & summa liberalitas vocatur. Vid. venerandus Dn. Parens Jacob Andreas Crusius *pia memoria in Opusc. pol. jur. hist. pag. 5. n. 13. & seqq.* imo inter misericordiae & dilectionis opera & specimina refertur, quadratque huc illud Ovidii 2. *de Ponto*

*Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis :
Conveniens homini est hominem servare
voluptas.*

Qua-

Quapropter cum hæc omnia per se sint clara, tota vero die, præsertim hisce temporibus, ubi omnia ab oriente usque ad occidentem bello fremunt, ubi tympanum strepit, & è contra pax aurea innumeris triumphis alias potior exultat, cum inquam, hocce tempore sæpissime illud contingat. Hinc cum ante discessum meum ex florentissima Salana certo mihi proposuissem specimen quoddam studiorum meorum conscribere, diu autem dubio ponderavissem animo, quamnam materiam assumerem, tandem nulla adeo mihi arrisit magis, quam hæc quæ agit *DE EO, QVOD IVSTVM EST, CIRCA REDEMPTIONEM CAPTIVORVM.* Placuit, inquam, mihi hæc materia, non ideo, quod aliæ insignes non essent, in quibus ingenii mei vires exerceri possent, sed quod in specie hæc materia sit subtilissima & non solummodo in jure Civili & Canonico, verum etiam in Jure Feudali & Publico satis sit fundata. Libentissime autem fateor, quod in elegante hac materia saltem controversias illustriores delibaverim. Interim tamen, hanc dissertationem in VI. capita divisi, ita, ut I. capite fiat evolutio vocabulorum, quæ in rubrica conspiciuntur;

untur, & descriptio rei exhibeatur. II. Tra-
 ctetur, quisnam de jure captivos redimere te-
 neatur. III. Quinam redimantur. IV. Qui-
 bus modis fiat redemptio captivorum. V. Ef-
 fectus redemptionis captivorum, & VI. descri-
 bantur Contraria & Affinia. Huic qualiquali
 labori ut ex alto felices successus largiatur SVM-
 MVS DEVS, est quod etiam atque etiam
 humillima devotione ab ipsius DIVINO
 NUMINE contendo. DIVINO ergo
 fretus AVXILIO rem ipsam
 aggredior.



CAPVT I.
TRACTAT
GENERALIA,

scilicet
Evolutionem nominum & Definitionem.

S V M M A R I A.

- I. Investigatio nominis necessaria est. II. Unde dicatur jus & jussum. III. Unde Redemptio. IV. Unde Captivi deriventur. V. Descriptio Redemtionis Captivorum. VI. Qui per hostes intelliguntur.

Th. I.



ametsi non opus haberem proluxa verborum & nominum, quæ in rubro continentur, descriptione, siquidem per se satis superque patefcunt, ne tamen in principio statim non solummodo Philosophorum sed & Jctorum monita plane despiciere videar; hinc non incongrue me facturum arbitror, si ab Etymologia & vocabulorum notatione initium faciam. Siquidem apud omnes constat, quantum veteres Jcti tractatum de re aliqua suscepturi in inquisitione vocum fuerint solliciti: Videri in hanc rem possunt LL. notissima. *l. 1. ff. de just. & jur. l. 1. ff. de reb. cred. l. 1. ff. de pact. l. 1. §. ff. de tutor. Add. princ. Inst. de libertin. & passim.* Etcerte derivationi vocis magnam inesse vim magnamque efficaciam, ita, ut etiam aliquando argumentari ab ea liceat, apud omnes procul dubio constat.

stat. Vid. D. Nicol. Everhardus à Middelburgo in *Locis argumentorum legalibus loc. 3. n. 1.* Wissenbach. in *Comm. ad tit. ff. de V. S. disput. 1. in princip.* Bartol. in *l. omnes populi 9. ff. de just. & jur. num. 59.*

Th. II. Nullas vero hic necto moras circa investigationem voculæ juris, ne rem à pluribus jam ante sapissime actam agere & crambem bis, imo centies coctam apponere videar. Saltem sufficiat mihi scire Jus à Justitia appellari, decidente hoc ipsum Ulpiano in *l. 1. ff. de just. & jur.* quam legem incidenter explicavit Venerandus D. Parens Jacob Andreas Crusius pia memoriae in *tractat. de Præcedentia Lib. 4. c. 31. n. 16.* Interim non diffiteor miram fuisse litem circa derivationem juris inter Jctos, quos distinctione quadam non contemnenda conciliare conatus est D. Simon. in *not. ad Gvilb. Grot. c. 1. §. 2.* Vid. Rebhan. in *bodogeta juris chart. 2. clim. 1. parallel. 8.* Add. Hug. Grot. in *incomparabili opere de J. B. ac P. in Proleg. n. 12.* Distinctionem juris ab æquitate vid. apud Nicol. Perrotum in *stor. lat. lingu. pag. 801. & seqq.* Hic per justum nihil aliud intelligo, quam id quod regula moralitatis convenit. Quam autem hic regula moralitatis deneretur, haud difficile erit intellectu, sc. regula actionum, qua vocantur moralium, dicitur vel conscientia vel recta ratio, vel natura rationalis ut rationalis, vel lex æterna. Quamcunque asserueris ex his me haud invito fiet; quippe qui statim justum esse, quod natura rationali & societati, qua tali convenit.

Th. III. A redimere derivari *redemptionem* in pro-
parulo est, verbum autem redimere modo simplicis sui si-
gnificationem habet, teste Cicerone, ubi dicit: *Qui mer-
ces redimunt, ut statim vendant & iserum Philippic. Domum*

non minoris, quam emi Antonius redimet, modo etiam accipitur pro eo quod est libero: unde qui injuste vexantur, si per solutionem pecuniæ liberatifuerint, redemisse vexationem dicuntur. *add. l. 39. in princ. ff. de R. V. l. 12. ff. de jur. Codicill.* item qui alicui poenæ obnoxii vel ab hostibus capti sunt soluto pretio redimuntur, & de hac posteriori significatione intelligendi sunt *tit. ff. & C. de captivis & postliminio reversis & redemptis ab hostibus.* Hinc luce clarius apparet, me quoque hanc posteriorem derivationem in hac Dissertatione intellexisse.

Th. IV. *Captivorum* vocabulum derivatur à verbo capio, quod diversas subit significationes, modo enim sumitur pro impedimento quodam; hinc mente capti dicuntur amentes, h. e., qui mentis compotes non sunt, modo pro privatione: hinc capti oculis nominantur, qui officio oculorum h. e. visu privati sunt, inde Virgilius aliquo loco ita:

Aut oculis capti fodere cubicula talpa.

modo etiam capti illi dicuntur, qui victi in bello & in potestatem nostram redacti sunt; Inde captivus, Germ. *elst Gefangener.* Hinc Juvenal. *Satyr. VII.*

Servos regna dabant, captivos fata triumphos.

& Terent. *He aut. act. 3. sc. 3. v. 47.*

- - - *Dicam hanc esse captam è Caria.*

Ditem, Nobilem.

& hoc posteriori significatu vocem capere & captivum intelligo. Sedes autem hujus materiæ in corpore nostro Juris Civilis uti thes. præced. dictum, est in *tit. ff. & C. de captiv. & postlim. revers.*

Th. V. Explicatis ita breviter vel saltem delibatis rubricæ vocabulis, nunc absque interruptione ordo disputata.

putatorius me ad definitionem vel potius descriptionem
 invitat, praesertim cum ea jure optimo fundamentum,
 fax & anima totius tractationis dici possit, quaque bene
 perceptorum negotium rectius percipiatur teste Gœd.
disput. a ff. . p. 1. eb. 1. lit. a. Unde etiam Cicero in *Offic.*
 suis recte admonet, disputationem à definitione semper
 debere proficisci. Add. cit. D. Nicol. Everhardus à Mid-
 delburgo *in loc. arg. legal. l. 3. n. 1.* Definiri autem vel po-
 tius describi id quod justum est jus circa redemptionem
 captivorum potest, quod fit *facultas liberandi eos, qui apud*
hostes ex bello justo detinentur, civibus in Republica competens.

Th. VI. Per Hostes autem (qui sunt, quibus po-
 pulus Romanus vel contra bellum publice indixit *l. 118. ff.*
de V. S.) hoc loco intelligo non solummodo milites ipsos,
 sed etiam quascunque adversa Reipublica partes, sive
 sint Cives, sive incolae, sive masculi, sive foeminae, vel senes
 vel infantes, postquam & has personas jure belli interfici
 praclare probat Hug. Grot. *de jur. B. & P. Lib. 3. c. 4. §. 9.*

CAPVT II.

Quinam de Jure captivos redimere teneantur.

SUMMARI A.

I. Sunt, qui ad redemptionem captivorum obligati sunt obligatione
naturali, alii obligatione civili. II. In prima classe sunt Liberi,
qui tenentur redimere parentes. Si hoc facere cessent, legitima
privari possunt. III. Parentes. Quid si Liberi legitimam
acceperint? Bona fideicommissis subjecta ad redemptionem cap-
tivorum alienari possunt. IV. Conjuges tenentur invicem se
redimere. V. Sunt, qui aliquo modo naturaliter, sed princi-
paliter civiliter obligantur, uti est Vasallus. Etiam sua pecunia
 Domi-

Dominum captivum redimere obstrictus est. VI. Quid si plures sint Vasalli, num omnes pro rata contribuere teneantur. VII. Num Dominus captivum Vasallum redimere obstrictus sit? VIII. Subditi debent redimere Principem. IX. Num Princeps subditos? X. Etiam Syndicus à civitate liberandus.

Th. I.

Absolutis ita generalioribus absque multorum verborum circuitu ad rem ipsam me converto, ubi statim in frontispicio non inutilis sese offert materia enucleanda, scilicet quinam teneantur & obstricti sint captivos redimere; ubi boni ordinis gratia duas facio classes, unam eorum, qui ad redemptionem captivorum obligati sunt obligatione naturali, alteram eorum, qui ad id obstricti sunt obligatione saltem civili.

Th. II. In prima classe, nempe eorum, qui naturaliter obligantur primo loco sese offerunt *Liberi*, illi enim ante omnia tenentur *Parentes*, quorum persona sancta & reverenda esse debet *arg. l. antepen. 9. ff. de obseq. patron. & parent.* captivos liberare, & quomodoecumque possunt, redimere. Poscit enim hoc pietas, requirit officium, postulat observantia, ipsa denique jubet honestas; cum totum corpus suum post Deum non solummodo patri, sed etiam matri debeant. Hinc quamvis legitima jure natura filii debeatur. *arg. l. 7. §. i. ff. unde liberi. l. 10. ff. pro socio, l. 15. ff. de inoff. testam.* & iplis nequaquam auferri possit sine causa iustissima. Vid. *Wesenberg. ad tit. ff. de liber. & posth. num. 4.* *Schneidew. ad §. sed quia 5. Inst. de fidei comm. ff. heredit.* Tamen eo non obstante, si parentes captivos non redemerint, eo casu utique possunt legitima sua imo Parentum successione in totum pri-

vari, uti constat ex *Nov. 115. c. 3. §. 13. Auth. si captivi C. de Episcop. & Cleric.* Et hoc etiam obtinet, si liberi cessaverint redimere Parentes per negligentiam, postea vero illi in captivitate decedant, tunc, quamvis animum haberint ipsos redimendi, quia autem non festinaverunt eorum redemptionem citius procurare à successione merito excluduntur, uti videndum ex *Alleg. Auth. C. de Episcop. & Cler.* Quamvis autem, uti constat, omne illud, quod auferitur indigno, ordinarie Fisco applicetur *l. 8. §. 14. ff. de inoff. testam. & tot. tit. ff. de his, quæ ut indignis auf.* (qui titulus, an adhuc hodie in viridi sit observantia, vide sis *Mevium in dec. part. 5. dec. 153.*) Verum enimvero si aliquid auferitur illis, qui, cum poterunt, non redemerunt defunctum ab hostibus captum, illud nequaquam Fisco, sed potius Ecclesiæ civitatis, ex qua ortus est, applicatur, ita, ut quicquid exinde ad Ecclesiam perventum, illud omne captivorum redemptioni proficiat, *arg. Nov. dict. 115. c. 3. §. 13.*

Th. III. Quod dictum est obtinere in liberis, multo magis quoque obtinebit in *Parentibus*, cum secundum tritum: Amor non ascendat, sed descendat, & liberi dicantur, imo revera sint viscera & pars corporis Parentalis. Ideoque statuimus, quod Parentes similiter sint obstricti liberos suos redimere, & quod eadem pœna sit statuta parentibus, quæ liberis, si redemptionem parentum neglexerint *arg. sapius citat. Auth. si captivi in fin. C. de Episc. & Cleric.* Sed hac occasione quaritur, quid juris sit, si jam dum legitimam captivus filius à patre consecutus sit, an & eo casu parens filium in captivitate ab hostibus detentum liberare cogatur? Respondet *Godofredus ad alleg. auth.* quod sic; nam, inquit,

inquit, ut maxime legitimam filio captivo jam dederit, pietatis tamen officia in filium exercere cogitur. *Confer. prædict. Godofr. l. c.* ubi plures habet quaestiones. Hoc, quod dictum, extenditur etiam ob favorem captivorum ad mulierem, ratione dotis, adeo, ut mater, tametsi de jure Civili dotem alienare nequeat, alienare tamen recte pro redemptione filii sui captivi & captivorum suorum possit per *l. 20. ff. solut. matrim. dos quemadm. pet.* Hisce præsuppositis recte concludo atque firmiter statuo, Parentes, quanquam alius pro alio nequaquam teneatur *l. 3. C. ne uxor pro marito*, hoc prædicto tamen casu teneri, & quidem naturaliter, ratio in eo latitat, quia in persona filii parens quoque affligitur *arg. l. 8. in fin. ff. quod metus causa* & nullus affectus vincit paternum affectum. *l. 7. C. de cur. fur.* imo, quia semper patris interest, filium captivitatem & per consequens servitutem non subire *l. 1. ff. de liberal. caus.* Præsertim cum satis superque illis constet, quod eorum liberi per captivitatem feritati barbaricæ ac libidini hostium subjecti fiant, servilibus injuriis, contumeliis, probris, flagris denique obnoxii in compede & nervo vitam degere cogantur, uti elegantè loquitur Petrus Royzius *decis. Lubuan. V. n. 445.* Incidenter hic notandum erit, quod, quando pater filium ab hostibus redemit, semper præsumatur illud ex causa pietatis fecisse, nec solum debeat conferri. *l. 17. C. de postlim. revers. & redempt. ab host.* Et quamvis uti constare potest ex *l. fin. §. 2. & seq. Auth. res que. C. communia de legat. & fideicomm. junct. l. 69. §. 1. ff. de legat. 2.* Add. *Gail. 2. Obs. 137.* bona fideicommissis, pro familiarum Nobilium conservatione constitutis, subjecta prorsus alienari prohibeantur, attamen si quaestio sit de redimendo

dimendo filio captivo, tunc utique talia bona fideicommissaria alienari possunt, quo filius ab hostibus, barbaris praesertim & infidelibus captus primo tempore redimatur. Nam si res Ecclesiae & sacro cultui dicata ex hac causa piissima uti vocatur in *l. 36. in princ. C. de donation.* vendere & alienare permittitur, *arg. l. 21. C. de SS. Eccles.* Quanto magis res profana a privato alienari prohibita hoc casu miserabili alienari poterunt. Huc accedit, quod semper praesumatur, si parens scivisset, filium ab hostibus capi, quod ipse expresse disposuisset bona sua qualiacunque demum fuerint pro ipsius liberatione alienari debere. Add. omnino Philipp. Knippschilt. in *tr. de fideicommiss. fam. c. XI. n. 332. cum seqq.* ubi ait, hoc publicae utilitatis & pietatis Christianae rationem svadere. Quamvis autem uti sapius supra dictum per jus Civile magnus subsit favor redemptionis captivorum, sicut & singularis est libertatis, attamen hoc non adeo crude intelligendum, ac si favor iste adeo se extendat, ut alios etiam sine suo facto ad istam obstringat & redimentibus actionem ad lycrum vel alias pro redemptione impensas tribuat, sed cum grano salis interpretandum, ita ut redimentibus tantum jus quoddam pignoris in corpora redemptorum praebet. *arg. l. 2. C. de postlim. revers. & redempt.* Ex quo habent redemptores jus & facultatem redemptos secum detinendi & si non reddunt solutum, obsequiis & operis eorum ad quinquennium tenendi *add. l. fin. C. eod.* Hinc si contingat Parentes ob inopiam facultate redimendi filium destitutos esse, sit autem aliquis, qui misericordia ductus jussu & mandato Parentum, filium redemit, eo casu redemptori, si supra mandatum Parentum aliquid impendit, nulla contra

tra Parentes competit actio, sed saltem in tantum, quatenus aut mandaverint aut promiserint Parentes, adversus eos competit actio. Quamvis enim Parentes humanitatem sanguine dignam exerceant & ipsorum pietati conveniens sit, curam habere liberorum captivorum, adeoque ipsis incumbere quoque videatur, redemptoribus liberorum suorum, omnem pecuniam quam impenderunt, restituere, attamen, cum redemptione liberorum parentum negotium simul non geratur, nec etiam ipsorum hoc sit tale principaliter, sed tantum per consequentiam, ideo ad id saltem obligantur, in quod consenserunt & mandarunt. Vid. Mevium in *Decision. part. VI. Decis. 27. & 24.* ubi etiam elegantem casum huc facientem enarrat & examinat, quo lectorem remitto.

Th. IV. Hoc quod dictum est extenditur etiam ad matrimonium, scilicet, ut si contingat *Maritum* sive *Uxorem* in miseram detrueri captivitatem, teneantur semet invicem soluto pretio liberare ac redimere. Et hoc ita statutum est in favorem matrimonii: Inter conjuges enim omnium divinorum atque humanorum est communicatio, imo Deus T. O. M. ipse tam arctam inter Conjuges societatem & ad auxilia vinculum constrinxit, ut sine impietate uxor non possit deserere maritum, ubi ope ejus indiget & vice versa: Hinc congruum est, ut utriusque fortunæ commodorum & incommodorum conjuges invicem sint participes. Ideo, si maritus facit impensas, redimendo uxorem à captivitate vel aliquem ex consanguineis sua uxoris, id computatur in dote, quia pium & etiam justum est, redimere captivos, præsertim se, & consanguineos suos. Videatur Romuleius in *tract. de probib. alien. extr. famil. n. 140.*

C

Th. V.

Th. V. Præterea in genere omnes, qui tenentur alere, tenentur etiam ex obligatione naturali redimere, cum hoc argumentum nempe de alimentis ad redemptionem captivorum fit validissimum. Ideo prout pater filium, & contra, mater filium, & contra, frater fratrem, & sororem, & contra in casu extremæ necessitatis debent alimentare & ad hoc possunt compelli officio Judicis, & ex necessitate causativa, ita etiam merito compelli poterunt ad redimendum à captivitate, præsertim si aliter in libertatem captivi se vindicare non possint, quia eadem est ratio pietatis.

Th. VI. Absoluta prima classe, videlicet eorum, qui naturaliter & ex instinctu ipsius naturæ obligantur ad redemptionem captivorum, statim pervenio ad alteram classem, nempe de iis tractantem, qui, quamvis aliquo modo etiam naturaliter, sed principaliter & civiliter saltem obligantur ad redemptionem captivorum. Ubi statim sese offert *Vasallus*, hic enim utique sciens Conjugem suam h. e. Dominum Feudi esse captivum apud hostes redimere & liberare eum tenetur, si hoc non fecerit, merito feudo privatur. Vid. Schneidewin. p. 8. num. 76. *epit. Feud.* ubi ait: quod cogatur pro redemptione Domini ab hostibus vel latronibus capti etiam absque culpa vel dolo suo pecuniam contribuere. Hoc autem eo saltem casu, quo ex bonis captivi lytrum non potest commode redigi, est intelligendum, tunc enim sua pecunia Dominum redimere debet, sin autem sine ope Vasalli pecuniaria possit liberari Dominus captivus, eo casu non opus habet vasallus pecuniam suam conferre; sufficit enim vasallum sedulam adhibere operam, ut pecuniæ quantitas liberationi sufficiens primo statim tempore colligatur, ac Dominus

minus æquissimis, quantum fieri potest, conditionibus liberetur. Vid. Schneidew. *l. all. num. 80.* Magnif. Dn. Struv. *S. J. F. c. XI. §. 14.* Quid autem obtineat, si sua pecunia se redimere non possit Dominus & multos habeat vasallos, an tum unus saltim adstrictus sit pecuniam solvere, an vero omnes pro rata contribuere teneantur? de illo vide præclare differentem & posterius affirmantem Andream Kohl. *in tractat. de servit. Feud. part. 4. num. 40. & seqq.* Hoc autem non ita intelligendum, ac si Dominus liberatus & ad pingviorem fortunam perveniens non adstrictus sit lytrum pro eo solutum, vasallis restituere, illud enim esset iniquissimum, sed utique tenetur omnia restituere secundum citat. Andream Kohl. *l. all. num. 50.* Hoc vero rursus aliquam patitur limitationem, si enim modicum saltim vasalli contribuissent, arbitror, eo casu vix ac ne vix quidem repetitioni locum esse, cum modica non curet prætor. *l. scio. 4. ff. de in integr. restit.* Interim notari meretur, quod Vasallus idem facere teneatur, quod faciunt liberi, nisi malit feudo privari: cum exheredationis justa causa præbere soleat justam causam privandi vasallum feudo. *arg. c. 1. §. prædictis modis. que fuit prim. causa ben. amitt.*

Th. VII. Hæc quæ dicta sunt de Officio Vasalli erga Dominum in casu redemptionis, illa quoque vice versa intelliguntur in eo casu, si vasallus Domino serviens sive militans ab hostibus fuerit captus. Si enim pecunia Vasalli sufficiens sit ad liberandum eundem, tunc quamvis in causa Domini fuerit captus, tamen, quia ad hoc obstrictus est vasallus, Dominus jure nihil conferre debet; Hic enim servitiis militaribus utendo non est in culpa, ne quidem levi: utitur enim jure suo, cujus usurpatio non

habet injuriam *l. 13. §. 1. ff. de injuriis.* Hac occasione examinari potest factum Friderici Placidi Electoris Saxoniae intuitu Conradi Kauffungii, cum enim praedictus Elector tum temporis grave cum Bohemis gereret bellum, & Kauffungus militum Dux & Imperator in bello isto captus fuisset una cum Nicolao Pflugio, viro forti atque strenuo, placuit Electori hunc Pflugium de suo arario redimi, Kauffungo vero lytrum, quod ipse persolverat, non restitui. Quæritur, inquam hic an obstrictus fuerit de jure Fridericus Elector Kauffungo pretium redemptionis restituere, cum in militia ipse fuerit captus? Communiter distinctione hanc quaestionem decidunt Auctores, distinguentes inter extraneum & stipendiarium militem, & inter vasillum, & dicunt, quod hoc posteriori casu utique incumbat Principi redimere vasillum, priori casu vero non aequè. Et talem militem mercenarium fuisse praedictum Kauffungum, proinde nec pretium redemptionis perere potuisse. Add: Heigius *2. quest. seqq. Burger. cent. 1. observ. 34.* Distinctionem quidem hanc non vitupero, sed hoc assero, quod etiam posteriori casu scilicet si Kauffungus fuerit vasallus, tamen Elector Fridericus non obstrictus fuisset, Kauffungum redimere, quia impletet *l. 1. §. 1. de acq. heredit. §. 1. de acq. servit. §. 1. de acq. servit. §. 1. de acq. servit.* lo cupies ac dives erat, ad se redimendum. Confer. quæ supr. dixi h. thes. in principio. Sin autem, ut ad priora revertar, contingat Vasillum esse inopem, tunc æquitas ipsa jurisque Feudorum evidens ratio dicat, Dominum, cuius in servitio vasillus ejusmodi calamitatem perpeffus est, oportere hanc pecunia vasillum redimere & liberare. Vid. pluribus laudatam Andream Kohl. *part. VI. num. 29. §. mult. seqq. add. c. 1. §. dominus. de forma fidelitatis.*

Th. VIII. Subditis quoque incumbit Principem, five superiorem suum & qui habet τὸ κρείον in Republica, si quando accidat illum in bello ab hostibus captivum deneri, illis inquam incumbit Principem suum redimere, quoquo modo possint, imo cogi aliquando ad hoc pietatis & reverentiae officium possunt, & quidem propter eminens Dominium. Si enim summa necessitate & utilitate Reipublicae exigente possunt compelli subditi ad mutuandas Principi vel Reipublicae pecunias, cum tamen mutuum sit contractus juris gentium liberrimus. Vid. Du. Parent. Jac. Andream Crustum piæ memoriae in *Opusc. polit. jurid. Historic. Et quidem in tract. de præeminenti Dominio Principis. pag. 69. n. 1. Et 2.* Si itidem licet Principi necessitate Reipublicae id efflagitante, subjectos etiam invitos ad vendendam rem suam cogere, quamvis nemo alias invitus ad rem suam vendendam vel distrahendam cogi possit, cum quilibet sit & dicatur liberrimus moderator & arbiter rerum suarum *arg. l. 21. C. mandat.* Quanto magis poterunt ad id cogi subditi, ut Principem suum injuste ab hostibus detentum redimant. An vero hoc casu, redempto postmodum Principe, teneatur ille restituere pretium, quod pro ipsius libertate solutum est, subditis suis controversatur. Putarem hanc quaestionem distinctione sequenti posse decidi, scilicet, ut si desit, unde damnum resarciatur, puta ob multitudinem privatorum, qui res suas ita perdiderunt, & quia damna talia plerumque sunt infinita, quibus Fisci & Principatus bona vix sufficerent, ut, inquam, tali casu Princeps ad compensationem non teneatur. Videatur Petrus Gudelinus in *eleg. Comment. de jur. Patris. cap. 7.* Si vero Principis ararium sufficiens sit ad compensationem, tali casu utique dicendum,

dum, quod Princeps teneatur compensare lytrum pro ipsius redemptione solutum.

Th. IX. Quicquid juris est in *Rege* seu Principe captivo, illud quodammodo, quoque juris esse in *Subditis* captivis, assero; Princeps enim utique tenetur subditos, si aliter in libertatem se vindicare non possint, redimere. Est enim eadem identitas rationis, cum sit Pater Patriæ, & hic idem fere latitat amor, quem Parentes fovent erga liberos. Hinc non immerito factum Mauritiï Imperatoris apud Historicos valde improbatum, quod ille ipse cum Chaganus Dux Avarum duodecim milia hominum & sibi Mauritiï subditorum ceperat, illos non modo non redemerit, verum etiam cum Chaganus non nisi unum nummum pro singulis, atque ubi non impetraret, dimidium saltem nummum exigeret, nec tale exiguum voluerit solvere: Quare etiam ira incitatus barbarus miserrime omnes trucidavit.

Th. X. Caterum ut huic capiti finem imponam; sciendum quoque est, quod etiam captus civitatis sive universitatis nomine, v. g. *Syndicus* &c. ab eadem redimendus sit, imo quod socius socium societatis causa captum redimere teneatur. *arg. l. 52. §. 3. §. 4. ff. pro socio.* Atque ita quoque responsum & decisum legitur in Consultationibus Hollandicis *part. 3. Conf. 224.* in *Jur. Lubecens. L. 7. tit. 5. art. 16.*

CAPVT III.

Quinam de Jure redimantur.

SUMMARI.

I. *Tam mulieres, quam viri recte redimuntur. An vero mulier possit*

fit officio Ducis fungi? *Affirm.* II. Milites strenui, non vero ignavi & qui libenter se dederunt, redimuntur. III. Aliquando etiam milites strenui non redimendi sunt. IV. Concluditur illos saltem milites redimi, qui uti decet milites pugnarunt; Accensenda tamen & hisce mulieres, infantes & alia miserabiles persona.

Th. I.

Consideratis personis, quæ obstrictæ sunt tam de jure naturali, quam Civili, captivos ab hoste redimere, spectem necessum est, quinam de jure redimantur; Et statim quidem non solummodo viri sed etiam mulieres militantes recte redimuntur; Quamvis enim fœminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis sint remota, *arg. l. 2. ff. de R. J.* & rarissime contingat mulieres castra sequi & sicut viri militiam subire, quamvis quoque fœminas à rigore juris bellici sublevare in multis sexus debeat; Verum enim vero illud si accadat, utique æqualem cum viris sortem ultro subire debent mulieres militantes, sicut Amazonum exempla, si credendum Historicis, demonstrant. An vero fœmina quandoque possit fungi officio Ducis & judicis hic incidenter quaritur. Et quanquam trita illa de mulierculis proverbialia sunt notissima: In mulierem & ignem incidere, æquale esse, imo nere, flere, nihil facere, esse proprium mulierum; Attamen, quia hæc in quam plurimis fallunt, ideo non erubescere asserere, quod in defectum aliquando fœmina præesse bello possit. Exempla habemus in Debora, Jud. IV. Semiramis Assyriorum Regina fortissima, in Elisabetta Anglia Regina. Vid. Cassiodor. *l. 1. c. 2.* Massagetarum Regina Justina & nostris fere temporibus in Christina Svecia Regina aliisque.

Th. II.

Th. II. Cum vero regulariter bellum non geratur à sexu mulieberi, sed potius à virili, hinc etiam principaliter de posteriori sexu hic nobis quaestio est: Certissimum autem est omnes illos, qui quantum in se fuit acerrime & uti milites decet dimicant, illos omnes redimi posse & debere. Hinc videmus, unicum hic latere favoris fontem, si neque per ignaviam neque per aliam culpam commiserunt milites, ut in manus hostium venirent. Quamvis enim illud Livii sit verissimum: Nulla virtute superari virium humanarum modum. Verum hoc casu serio examinari debet, an factum sit, quod fortis fidelisque operæ ratio postulabat; præsertim cum facillime desidia ac ignavia suspicionem incurrere captivi possint. Vid. prooem. supra. Unde quoque apud Plautum, Philocrates, cum ex altera quoque parte quosdam captos intellexisset, pro solatio id habens, inquit

- - - *Non igitur nos soli ignavi fuimus.*

Et Quintilianus in Declamat. 339. Longe felicissimum, inquit, in bellis est vincere: fortissimum, si victoria non detur, pro causa mori. Ille vero dicit, qui se inter virtutem hosti dedit, qui abjectis armis paratas in vincula præbuit manus, quam tandem nobis spem in posterum facit? Quæ spes in milite residua est, si nihil potius fuerit, quam capi? Hæc ille. Conferatur Hug. Grot. *de J. B. ac P. lib. 3. c. 21. §. 24.*

Th. III. Ex hisce traditis facillime cuilibet constare potest, non omnem militem dignum esse, ut redimatur à Domino, scilicet, si, cum periculum nullum adest, ex timore injusto sese hosti det; Caterum aliquando evenit, ut sine facto militis pravo non possit nec debeat miles redimi, exemplum habemus in permutatione capti-

captivorum, v. gr. potest evenire, ut captivi numero quidem utrinque pares sint: Sed impares reliqua æstimatione. Sic apud nos captivus aliquis Tribunus, qui consilio & audacia Duci mereatur comparari, qui multa nostris damna dederit & daturus credatur, an hunc statim cum alio Locum tenente sive Tribuno è nostris captivo commutabimus? Crederem, quod non: An milites veteranos & experientissimos hostium cum tyronibus nostris? Nequaquam; Hinc non raro videmus Duces, quorum opera multum hosti commodare potest, usque dum bellum componatur, detineri. Videatur Felzmann. *Resp. milit. 9. n. 72. seq.* Potest quoque accidere, ut captivi quidem pares sint intuitu æstimationis, impares vero numero, eo certe casu non putarem salutare esse Reipubl. sed potius valde perniciosum paucos sibi subditos & ab hoste in captivitate detentos, cum permultis in suam potestatem redactis hostibus permutare, illosque adeo redimere.

Th. IV. Ex dictis tandem concludo, illos demum milites esse subjectum redemptionis, qui uti fortes decet, fortiter pugnarunt, saltem ex infortunio s. à multitudine hostium eo adacti, ut se dederint, hi, inquam, digni sunt ut redimerentur à superiore. Non tamen hoc ita accipiendum ac si hæc benignitas solummodo spectet ac pertineat ad milites, nec etiam ad infantes, mulieres & alias miserabiles personas. Neutiquam: illa enim, uti *thes. 1. b. c.* dixi, utique debent redimi, & hoc ob favorem sexus. Et quamvis Hoierus *ad art. 70. jur. milit. Brandenb.* scribat, belli morem esse, ut foemina non redimantur, verum cum hoc non satis probarit, tamdiu erit nostra propositio vera, donec probetur contrarium. In hanc

D

fen-

sententiam inclinans Ambrosius ita scribit: *2. Offic. 28.*
 Quis est tam durus, tam immitis, tam ferreus, cui displiceat, quod homo redimatur à morte, scemina ab impuritatibus barbarorum, adolescentula, vel pueruli, vel infantes ab idolorum contagiis, quibus mortis metu inquinabantur? Sic ille.

CAPVT IV.

Quibus mediis fiat redemptio.

S V M M A R I A.

- I. *Multis modis redemptio captivorum procuratur.*
- II. *Pretium redemptionis definitur & quantum esse debeat, describitur.*
- III. *Ad quod pretium cogi possint milites peregrii captivi, item praecones verbi divini militares: Die Feldprediger.*
- IV. *Qu. An pretium precise debeat consistere in pecunia numerata.*
- V. *Quid obtineat in Rege captivo, quem hostes antea non velent dimittere, usque dum Regnum faciat tributarium.*
- VI. *Qu. An satius sit pacem cum hostibus facere, ut captivi redimantur, an vero melius sit bellum prosequi & captivos non redimere.*
- Laus Pacis.
- VII. *Quid juris sit in cadaveribus captivorum, & an talia cadavera repetens antea hosti teneatur persolvere pretium pro iisdem.*
- VIII. *An ex pecunia secum occulta se liberare possit captivus ab hostibus.*
- IX. *Quid juris sit, si captivus alienis nummis ab hostibus liberatus sit, describitur, & an eo casu in servitium maneat describitur. Quid obtineat & an pretium conventum ante mortem à captivo non solum ab herede debeatur? Ubi distinguendum.*
- X. *Qu. An Creditor, qui pecunia sua debitorem ab hostibus redemit, privilegio prelacionis gaudeat in concursu creditorum?*

Th. I.

Brevissime ita perlustratis personis subjectum habile redemptionis constituentibus, consequens erit, ut hocce

hocce capite examinem media, quibus redemptio capti-
 vorum procuratur; Procuratur vero redemptio capto-
 rum multis modis, aut enim captivi gratis dimittuntur
l. 5. junct. l. ii. C. de postl. revers. aut virtute militari hostibus
 rursus eripiuntur. *l. 12. C. de ed. tit.* Add. Brunnen ann. *ad*
b. l. aut sub cautione juratoria, veletiam nuda repromis-
 sione (*auf Cavaliers Parole*) dimittuntur, aut permu-
 tantur, aut denique soluto aliquo pretio redimuntur: De
 hoc posteriori modo uti frequentiori hic mihi sermo erit.

Th. II. Pretium vero redemptionis est illud, quo
 mediante à captoris potestate se liberant captivi, five pre-
 tium est, quod ex pacto solvitur hosti capienti, cum in fi-
 nem ut captivum restituat, ipseque captivus à servitute
 hostili liberetur. *add. l. 20. pr. ff. de capt. & postlim. rev.*
junct. l. 16. C. eodem. quam redemptionis speciem barbari
 vocant Ransonem, Græci *λύτρον*, Germani vero *Ranzion*.
 Quantum vero pretium hoc esse debeat, præcise & accu-
 rate definiti non potest, præsertim in captivis Ducibus,
 cum illi utique majus pretium pendere soleant, quam mi-
 lites gregarii. Insigne hanc in rem est exemplum in Ul-
 rico Duce Württembergico, ille enim cum Anno Christi
 1339. ex Comitibus Metensibus, ubi honorifice habitus red-
 iret, in itinere à Domino Vinslingensi absque ulla causa
 capitur & non nisi 100000. marcis argenti in lytron solutis
 dimittitur. Videatur Naucler. *Volum. 3. gen. 45. pag. 387.*
 De Henrico Archiduce Austriæ capto à Bohemo vid. apud
 Nicolaum Burgundum *l. 1. Histor. Bavar. in calce ad. A. 1327.*

Th. III. Milites gregarios quod attinet, sciend-
 um, quod ad plus pretii solvendum cogi non possint,
 quam ipsorum bona aestimantur, & tum ne quidem om-
 nia bona ipsis adimantur, sed relinquuntur ista, quæ ad su-



stentationem vitæ necessaria videntur. Confer. Grot. *de J. B. ac P. lib. 3. c. 14. §. 9.* Et quamvis Pyrrhus ducentos ex captivis sine pretio remisit laudante hoc factum Cicerone, ut magni excelsique animi specimen, & Tiberius Imperator Christianus æqualem bonitatem & misericordiam in Persas exercuerit, hodie tamen hoc in usu fere esse desit; & communiter in quolibet bello exorto pretium definiiri solet, uti factum in bello Gallorum cum Hispanis in Italia, ubi eques redemptus quartam partem annui stipendii amittebat, & in bello quod Frisii An. 72. huj. fec. gerebant cum Episcopo Coloniensi & Monasteriensis, inter ipsos conventum est, ut præco divini verbi, & quidem militaris, ut vocant (ein Feldprediger) viginti thaleris redimatur. Vid. Feltmann. *in Respons. milit. 9. num. 172. & seqq.*

Th. IV. Hic multæ & insignes occurrunt quaestiones resolvendæ, & primo quidem quaritur: An pretium præcisæ semper debeat consistere in pecunia numerata, an vero in alia re possit constitui? Et certe nullum est dubium, quin posterius affirmem. Sic constitutum est tam in jure Civili quam Canonico, res Ecclesiasticas & sacro cultui destinatas pro redemptione captivorum posse alienari, & in hunc usum posse adhiberi, uti constat ex *l. 21. in fin. C. de SS. Eccles. Nov. 65. & Nov. 120. c. 9. junct. c. 10.* add. ex jur. Canon. *caus. 12. qu. 2. c. 13.* ratio in eo consistit, quia Ecclesia, tanquam mater spiritualis, frangere & alienare vasa sacra debet, ut redimat filios suos spirituales, quoniam non absurdum est animas sive vitam & corpora hominum quibuscunque vasis & vestimentis præferri, uti eleganter dicit *l. cit. 21. C. de SS. Eccles.* Hinc tradit Victor *l. 1. de persecut. Vandalor.* Carthaginensem Episcopum, ut capti-

captivos à Vandalis & Mauris liberaret, vasa aurea simul & argentea vendidisse.

Th. V. Quæritur porro hac occasione, quid juris, si Princeps vel Rex capiatur in bello, & hostes eum nequam dimittere velint, quam si Regnum vellet facere tributarium, an eo casu teneantur subditi hoc pactum inire, an potius Rex vel Princeps ita captivus salva conscientia Regnum possit facere tributarium. Certe hanc in rem Insigne habemus exemplum in Johanne Rege Gallia, ille enim cum infeliciter praliasset cum Eduardo Rege Anglia, & hic in Anglia ipsum captivum detinebat, potius voluit in carcere permanere, quam postulata Eduardi Victoris Regis inire. Simile quoque exemplum apparuit duobus pene sæculis post in Francisco I. Gallia Rege, hic nempe, cum in pralio victus & captus fuisset ab Imperatore gloriosissimo Carolo V. eidemque multa, & quidem duriores offererentur conditiones, illum dixisse tradunt: se malle captivum mori, carere regno, filioque id relinquere, quam iniquis legibus oneratum ac diminutum recipere.

Th. VI. Quid autem dicendum de eo casu: Capiuntur in bello multi, & quidem insignes milites, vel etiam Duces ab hoste, hi in summa miseria & calamitate vitam degunt, ab alienati sunt jure civium, servique hostium facti sunt; hostis vero non ante, quam pax introducatur & confirmetur eosdem dimittere vult, jam quaritur: An potius pacem debeamus cum hoste facere nobis inutilem & non profitabilem, ut ita loquar, quo redimantur captivi? An vero melius sit bellum profequi & captivos tyranni hostium exponere? Fateor hanc esse quaestionem non inutilem, praesertim hisce temporibus

ribus calamitosis, ubi omnia bello repleta sunt. Verum quid ad hanc quaestionem respondendum sit, fere dubito. Hoc tamen probabilius esse duco, si contingat captivos ejusmodi magni esse nominis, v. gr. Duces Exercituum, qui rerum suarum gestarum gloria totum fere terrarum orbem impleverint: quod eo casu utique satius sit pacem cum hostibus facere, quam tales Heroes non redimere: Idque eo magis, cum constet, auream pacis serenitatem optabiliorem esse belli calamitate. *L. unic. in pr. C. de caduc. tollent.* & una pax innumeris triumphis sit potior, imo melior tutiorque sit certa pax, quam sperata victoria, uti ait Livius *lib. 30.* & Cicero *l. 7. Epist. ad Atticum 14.* asserit, etiam injustam pacem utiliorem esse, quam justissimum bellum. Hinc assero hoc nostro casu pacem faciendam esse. Quamvis non diffiteamur, quod vulgo parum firmitatis in ejusmodi pace speretur. Temporis enim causa pacisci, absque serio proposito inter ea non est, quae probari debent. Unde cum *A. R. S. 1379.* inter Ludovicum Flandriae tunc temporis Comitem & Gandenses pax convenisset, prudentiores pacem non fore diuturnam ominantes, inquit ab eo (quod verum erat) Nobilium liberandorum causa dixerunt apud Pontum Heuterum *Rer. Burgund. lib. 2. c. 8.* Nec sefellit eos augurium, ut ex historia constat.

Th. VII. Pergo ad aliam aequae non inutilem quaestionem, tractans de cadaveribus captivorum, an scilicet cadavera talia repetens ante hosti teneatur persolvere aliquam pecuniam summam? Et certe videtur hoc saltem apud barbaros ne quidem omnes esse in usu: Quum & illis natura dicter suum jus, nec usque quaque finat esse ferus. Memorabile exemplum habemus in expeditione

editio

ditione Africana, quam suscepit Sebastianus Rex Lusitania seu Portugallia; hic cum superiori seculo in Africa praelians cecidisset, & de redimendo corpore ejus ceptum esset agitari, Hamotes Rex Barbarorum, negavit se eum esse Regem, qui ex cadaveribus lucrum sive pretium acciperet. Vid. Thuanus *lib. 65. anno 1578.* Certe dictum non ex barbaro, sed Christiano ore profectum. Cessant enim omnia morte, omnisque odiorum materies evanescit. Unde offerenda potius, quam concedenda talia defunctorum corporis hosti esse puto juxta Poëtam:

Natum cum vultis certamen & aethere cassis.

Et certe natura ipsa sive instinctus naturæ dicitur cuilibet, hominem ad imaginem Dei conditum etiam post mortem honestius tractare, quam eum defensionis jam incapacem cujuslibet injuriæ exponere. Videre licet hoc ipsum quodammodo etiam in animalibus, ratione omni destitutis, nempe brutis, nonnulla illorum aliquam quasi reverentiam erga mortuos suos habere. Ita de formicis testantur Phyfici, quamvis mortuos suos in cavernis nequaquam patiantur propter munditiam, cui hoc animal præ reliquis deditum, tamen nec temere eos quoque abjiciant; sed in vicinia non procul à cavernis eos sepeliant, idque facere proximiores, sicuti filii parentes in loco aliquo honesto seu monumento familia. Vid. Frantzk. *hisor. Animal. p. 5. c. 8.* ubi hoc morale insuper addit: Quod liceat quandoque inter animalia rationalia nempe homines reperire, qui non pietatem hanc propinquis suis, nedum peregrinis sive extraneis præsent eoque omni jure brutis ipsis deteriores esse censendos, cum non memores sint illius:

Pugna

Pugna suavis finem cum jacet hostis habet.

Ex hisce facillime videre possumus & jure naturæ conveniens esse, ut mortui honeste sepeliantur, & nulla injuria afficiantur, quod autem facile accidere potest, si in usu esset captivum mortuum demum pretio quodam redimere. Detestator itaque eorum facinus, qui hoc adhuc perpetrantur, nec erubescunt, ex cadaveribus etiam lucrum captare illo Imperatore dicentes: Lucri bonus odor est ex te qualibet.

Th. VIII. Hac quaestione examinata adhuc alia sese offert examinanda, scilicet: An captivus ex ea pecunia, quam clam secum habet, se ab hostibus redimere ac liberare possit? Distingvendum hoc casu puro, num Christianus a barbaro & vice versa capiatur, quod tunc, quia eo ipso servus fit & omnia, quæ habet, sunt in potestate victoris, se redimere non valeat: Sin autem accidat, Christianum ab æque Christiano capi, eo casu utique potest ex pecunia secum occulta se redimere, ratio in eo latitat, quia nimirum inter Christianos servitus in totum hodie est sublata, & qui agit cum captivo, ut se liberet, is declarat, ut adeo possessionem pecuniæ ac rerum, quas alias cum persona nactus erat, amisisse videatur. Vid. l. 3. §. 6. ff. de acquir. vel amitt. poss. Add. H. Grot. de J. B. ac P. lib. 3. c. 21. §. 28. Huc facit quoque memorabile exemplum apud Martin. Barilecum in vita Scanderbegii lib. 7. quo Lectorem brevitatè ergo remitto.

Th. IX. Ut autem ad alia perveniam; notandum erit, quod liber homo captus, si vel suis nummis se redimat vel propinquorum, statim pristinum confestim recipiat arg. l. 17. C. de postlim. revers. donatio enim hic
pra-

præsumitur proximitatis & affinitatis ratione. Alciat. l. 2. *presumpt. c. 32. add. l. 27. §. 1. l. 34. de negot. gest.* At si alienis nummis ab hostium potestate liberatus sit, an tunc servitutis jugo redemptus eximatur, nec ne, difficile plane dictum est, adeo LL. Civiles mirum in modum inter se repugnant. Mihi perplacet affirmativa sententia D. Simonis in *presid. Academ. part. 2. diff. 12. de postlimio §. 29.* quo lectorem brevitati studens remitto. Quid autem juris, an pretium conventum etiam mortem à captivo non solutum ab herede debeat? Videtur distinctione responderi posse, ita, ut si in carcere mortuus sit captivus, eo casu nihil debeat, ratio in eo est, quia promisso inerat conditio, si liberaretur, jam verò notissimum est, quod mortuus non liberetur: Sin autem captivus mortuus sit, cum in libertate jam dum esset, tum demum debetur ab herede & jure ab ipso potest exigi, ratio est, quia jamdum lucratus erat id, pro quo promissum erat pretium. Vid. Grotius *de J. B. & P. l. 3. c. 31. §. 29.*

Th. X. Q. An is, qui pecunia sua debitorem ab hostibus captum redemit, privilegio prælationis gaudeat in concursu creditorum? Et certe primo intuitu videbatur dicendum quod sic, ratio in eo est, quia hoc modo conservatus est debitor, alias forsitan periturus, si in potestate hostium permanisset, non absque magno incommodo universorum Creditorum, qui solutionem debiti ab ipso efflagitant. Verum enim vero rectius dicendum, quod hoc privilegio non gaudeat creditor, quia notissimum est, bona debitoris etiam absentis apud hostes per curatorem bonorum posse administrari, imo facultates ejus, unde creditoribus satisfaciendum, bene per administrationem conservari posse. Hoc tamen negari non potest,

E

quod

quod ejusmodi creditor privilegio personali sic munitus; idque magis, quia iniquum foret, eum, qui pecunia sua debitorem redemit ab hostibus, & eo ipso magnum pietatis officium exercet, sine sua culpa damnum sentire. Si enim creditor, qui alimenta praestitit, praefertur creditoribus chirographariis sine discrimine. vid. Matth. Berlich, p. 1. concl. 69. n. 7. multo magis pecunia, quae pro redemptione captivi solvitur ab hoc privilegio excipienda non erit, quippe qua debitor non minus in statu pacifico conservatur, quam cibo corpus sustentatur. Et hoc multo magis procedit, si certum sit, creditorem non lucri sui causa, sed amore juvandi debitorem pecunia sua redemisse. Vid. Carpov. part. 3. decisi. 297. num. 15. Brunhemann lib. 3. tit. 22. Add. Hahnus ad Wesenbec. ad tit. ff. quae res pign. vel hypothec. dat. obligar. ubi hanc sententiam praedictam quodam confirmat. Interim notetur l. 2. in pr. l. 8. l. 11. l. 13. C. de postlim. revers. & redeme.

CAPVT V.

De Effectu.

S V M M A R I A.

I. Effectus redemptionis captivorum describitur. II. Jura quae amittebantur per captivitatem, enumerantur. III. Per redemptionem omnia jura captivus liberatus recipit. Quæritur, an redemptio captivorum pristinis omnium temporibus fuerit in usu.

Th. I.

Effectus redemptionis captivorum est, ut eo statim tempore captivus, quo liberatus fuit, inque statum liberum positus, omnia jura civitatis, quae amittebantur per capti-

captivitatem, recipiat. Videamus itaque, quae tandem jura amittantur per captivitatem, quia iis bene perceptis facillime etiam perspicui poterunt, quid recipiat.

Th. II. Primo itaque jure Romano amittebatur patria potestas *l. 12. §. 1. l. 22. §. 2. ff. de capt. & postlim.* adeo, ut captivo quoque per filium familias nihil adquiratur. *arg. l. cit. 12. §. 1. l. cit. 22. §. 2. ff. dict. tit. l. 9. ff. de cafirens. peculio.* (II.) Per captivitatem dissolvebatur matrimonium. *l. 1. ff. de divortis.* quod tamen mutatum est *Nov. 117. c. 11.* ubi exceptio quaedam reperitur: Nam si certum est, captivum seu captivam adhuc vivere, eo casu nullum est dubium, quin matrimonium adhuc subsistat *arg. Novell. 22. c. 7. l. 6. ff. de divortis.* (III.) Captivus testamentum facere non poterat. *§. ult. Inst. quib. non est perm. fac. test. l. 16. ff. qui test. fac. poss. l. 8. pr. eod. tit. l. 32. de R. J.* ne quidem jure militari. *l. 10. ff. de testam. milit.* Hereditas enim & testamentifactio sunt juris publici *l. 3. ff. qui test. fac. poss. l. 1. pr. ff. ad L. Falcid.* imo nec testamentum à captis in captivitate factum, si reversi fuerint, convalescit. *d. §. ult. Inst. quib. non est perm.* (IV.) Captivi habebantur, ut servi pro nullis. *l. 23. ff. de R. J.* ita ut etiam quadrupedibus exaquarentur, uti constat *ex l. 2. §. 2. ff. ad L. Aquil.* nullam personam habebant & nullam injuriam, si quaedam ipsis inferebatur, patiebantur. *§. servis. Inst. de injuriis.* interfici poterant à Dominis *l. 1. §. 1. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur. xstimabantur vulgariter 20. aureis l. 1. C. de commun. serv. manumisso.* nulla eorum propria erat agnatio nec eorum contubernio aliqua contrahebatur. Vid. Vinnius *ad princ. Inst. de Nupt.* (V.) Ut uno verbo me absolvam: Cives nostri capti ab hostibus barbaris eodem modo

modo momento civiliter mori intelliguntur. *l. 10. in pr. ff. de capt. & postlim. revers.* imo ipsis comparantur mortuis *l. 59. in fin. ff. de condit. & demonstrat.* civitatem & libertatem amittunt §. 1. *Inst. de capit. demin. l. fin. ff. cod. tit.* Unde etiam uxores, quarum mariti in captivitate, sunt instar viduarum gaudent beneficio. *l. unic. C. quand. Imper. in pupill. & viduas & c.*

Th. III. Ex his satis superque constare cuilibet potest, quantis miseris & arumnis obnoxii fuerint captivi, & quam jura amittebantur Jur. Rom. per captivitatem. Hinc factum ut paulatim inter gentes sive imitamine gentis ad gentem redemptio captivorum introducta fuerit, mediante qua omnia jura, quae alias uti dictum per captivitatem captivi amittebant, redempti rursus accipiebant. Hoc autem ita accipiendum non est, ac si redemptio captivorum pristinis temporibus non fuerit in usu, nequaquam: Sed ita, redemptionem captivorum in frequentiore usum paulatim venisse, cum servitus desueta esset, & captos citra causam mactari contra humanam aequitatem & preceptum Christi acriter pugnet.

CAPVT VI. ET VLT.

De Affinibus & Dissentaneis.

SUMMARI A.

- I.** *Obsides solutione à Principali facta liberantur.* **II.** *Postliminio restituti pristina jura recuperant.* **III.** *Liberati à Latronibus pristinam conditionem recipiunt. Si quis alicui se obligaverit, vel aliquid dederit, ut se à vi hostium eriperet, non potest actionem quod metus causa instituire.* **IV.** *Contraria redemptioni est captivitas perpetua. Quid juris, si universitas sit capta.*

Th. I.

Th. I.

Inter Affinia referuntur *Obsides*, ob fidem patriæ præstandam ita dicti, in potestatem recipientis, pro observandis pactis vel fœderibus traditi Petr. Bellin. *in tr. de re milit. tract. tom. 16. pag. 371.* quorum originem Gentium juri, sicuti bellorum, servitutum & postliminiorum adscribit Bald. *in l. 2. vers. numquid Obsides. C. d. patri. qu. fil. disfrax.* quos soluto debito impletisque pactorum conditionibus, liberari naturæ & gentium legibus consentaneum est; hæc quippe, inquit Lebleu *disfertat. de Obsidibus ac in eos jure, eb. 50.* hypothecarii nexum indoles est, ut mediante debiti solutione, vel alia vii solutionis obtinente satisfactione extinguatur; scilicet si integralis facta sit solutio, alias in statu suo remansura hypotheca, pro summa residua, etiamsi minima *l. 13. §. etiam ff. d. pignor. & hypothec. Mercurial. Merlin. tr. d. pignor. & hypoth. lib. 5. tit. 1. qu. 1. & seqq.* rem illustri firmat exemplo de Buffieres *Histor. Franc. lib. 16. pag. 353.* ubi ait: *Iis feliciter festinatis, liberorum traditio in aliquot menses, & sequentem annum dilata est, Prati Cancellarii turpi avaritia atque Hispanorum necessaria cavillatione. Etenim Pratus cudi jusserat nummos, quos Hispanis solveret, ex auro impuro, fraude indigna Regis fide & amplitudine; nec ideo Hispanis impositum, imo fraus magna infamia in apertum producta est; singulis nummis ab aurificibus tentatis; repertumque est, accessionem quadraginta millium aureorum factam, quam supplere novo auro oportuit. Tunc liberi Regii restituti. Ad Bebobiam annem, eadem ceremonia, qua dati fuerant in annu medio, numerato & appenso auro, permutantur.*

Th. II. Ab hostibus justo bello capti, deinde re-

E 3

cupe-

cuperati postliminio in pristinum statum restituuntur, ita ut quæ bello amissa sunt, pro non amissis habeantur, & omnia jura, quæ per captivitatē amiserunt, recuperentur, dum tamen ea integra inveniantur. *l. 19. §. 10. ff. de captiv. & postlim. revers.* fingit enim jus postliminii, eos semper in civitate fuisse, semperque liberos habuisse in potestate. Excipiuntur illi, qui armis victi hostibus se dederunt *l. 17. d. t.* quia pactiones cum hostibus factæ valent jure gentium, Hostes qui sunt, inquit Grotius *L. jur. bell. & pac. lib. 3. c. 19. §. 1.* homines esse non desinunt. Nec adversus eos est postliminium, qui licet reversi fuerint, animum iterum hostes adeundi habent *l. 5. §. 3. l. 12. §. 9. d. t.* Item ii, qui hostibus dediti revertuntur, nec à suis recipiuntur *l. 4. cod.* nec non *Transfuge*, quos detestatur jus civile Romanorum, nec dignos beneficio postliminii judicat *v. l. 19. §. 1. d. t. l. 14. ex quib. caus. maj. supplicii* potius efficiendi *l. 3. §. 10. l. 7. d. re milit.*

Th. III. Liberati à *Latronibus* à vinculis & squalore sive pecunia se liberaverint, sive effugerint, pristinam conditionem recipiunt. Et si quis alicui se obligaverint vel aliquid dederit, ut se à vi hostium eriperet, nascitur obligatio ex innominato contractu, do ut facias, modo requisita illius adsint; si vero simplex sit promissio, nascitur obligatio naturalis, plena tamen. Nec obstat, quod dederit propter vim; videtur enim mercedem liberationis accipere.

Th. IV. Contraria est Redemptioni perpetua *Captivitas personarum*, quæ jure gentium servos facit. Universalitate tamen capta & victa subditi non fiunt servi; jurisdictionio tamen illo casu & imperium victori acquiritur, ut & alia civitatis jura & actiones *arg. l. 118. d. R. J.*

COROL.

COROLLARIA.

Fratrum & Sororum liberi illasa conscientia
matrimonium inter se contrahere possunt.

2. Q. An receptatores rerum furivarum eadem, qua fures ipsi affiendi poena?

3. Q. An mandans aliquem vulnerari expressa hac conditione adjecta, ne occidat, si mandarius interficiat, poena homicidii ordinaria teneatur?

4. Q. Libellus famosus dicendus, si si eadem nomen adscriptum & an tum poena famosi libelli locum habeat?

5. A Christiano Judæo legatum in testamento relinqui potest.

6. Sacerdos Secreta Confessionis in loco poenitentiali (im Beichtstuhl) sponte sibi facta revelare certo modo potest & non potest.

7. Homicidium amoris actu inter corrivales commissum extra ordinem puniendum est.

8. Captivam aut servam nullo jure stuprare licet.

9. Non est verosimile ad torturam indicium, si cadaver hominis interfecti in praesentia ejus, qui

qui de homicidio illo suspectus est, sanguinem effundat.

10. Si Parentes & Liberi simul in bello, ruina, naufragio, perierunt, quæritur? An Parentes, an liberi prius mortui censeantur? Distinguendum.

11. Stigmata in Corporibus Sagarum reperta non præbent indicium ad torturam.

12. Par in parem non habet imperium.

13. Rex Romanus omnibus Europæ Regibus præferendus est.


14. Nobiles à Potentissimo Electore Brandenburgico in Prussia creati, ubique locorum pariter, ut alii Nobiles exteri, pro talibus reputandi sunt.

SOLI DEO GLORIA.



VIA 18





00 A 6467

ULB Halle

3


002 928 043



18

V317







32

DE EO
QVOD IVSTVM EST
CIRCA
CAPTIVORVM
REDEMPTIONEM,
SVB PRAESIDIO
PETRI MULLERI,
ICTI, CONSILIARII SAXONICI, CVRIAE
PROVINCIALIS, SCABINATVS ET FACVL-
TATIS IVRIDICAE ASSESSORIS, NEC NON
PANDECTARVM PROFESSORIS
PVBLICI,
IN ACADEMIA SALANA
D. XXVIII. IVNII A. MDCXC.
PVBLICE DISPVTVAVIT
IACOBVS HENRICVS CRYSIVS,
MINDA - WESTPHALVS.



31

IENAE
REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1740.

